

temporibus per omnia secula, usque ad Lutherum ipsum, duraverit, adeoque Lutherana Ecclesia ante Lutherum fuerit. Uti enim nunc apud Siculos sunt multi, qui revera intra se se sunt partibus Austriorum addicti, et si, quoad Gallo-Hispani apud eos rerum potiuntur, non audent propalam se se Austriacos profiteri, aut Carolinos dicere, professuri tamen ac dicturi, simulac id facere licuerit impune; ita etiam olim Christianos inter multi fuerunt, qui non modo intra se eadem statuerent, quæ Lutherus postea propugnavit, sed & aliquando significanter, ac proderent; et si propalam non secederent a Pontificiis, aut e Papatu migrarent, sed tempus commodum expectarent, quo recludere animorum recessus, & quid corde premerent, aperire procul periculo possent.

§. XXXIV. Non officit huic sententiæ quod a) *Ministerium in Papatu extreme corruptum*, non modo qua *mores*, sed etiam qua *doctrinam* fuit. Uti enim tempore nati Servatoris corruptissimum fuit apud Iudeos Leviticum sacerdotium, & tamen nihilominus vera fuit Circumcisio, verum Pascha, vera Lex Mosaica, singulis Sabbathis prælegenda *Act. XV, 12.* vera, & Deo placentia sacrificia, dummodo cum fide in Messiam conjuncta essent &c. quibus omnibus & collecta, & conservata fuit Ecclesia; ita etiam *sub Papatu* verus fuit Baptismus, vera Coena, usque ad tempus Concilii Constantiensis, vera Scriptura, cuius partes propositæ & inculcatæ sunt populo, aliaque id genus, quæ vim suam & efficaciam in iis omnibus ostenderunt, qui Spiritui S. per eadem operaturo se senon opposuerunt. Audientium quoque aures non raro puriores fuerunt linguis docentium, & quæ Scripturæ verba malo sensu fuerant a docentibus prolata; hæc meliore sensu fuerunt ab auscultantibus accepta.

XXXV. Non officit b.) quod hi pauci numero fuerunt.

E 3

Ubi